

Les sources manuscrites de la théorie de la musique  
(S. IX-XVI)

---

München, Bayerische Staatsbibliothek (D-Mbs)

Clm 19850, f. 1r-2r

Transcription : Christian Meyer

(4 décembre 2005 – rév. oct. 2017)

1r

<sup>1</sup> Subiectum musice est ly numerus sonorum

<sup>2</sup> Unisonus est consonantia constans ex duobus vel pluribus vocibus in eodem spacio aut linea contentis, vel sic et melius :

<sup>3</sup> unisonus est unius et eiusdem vocis in eodem loco immediata repeticio ut *re re*.

<sup>4</sup> Semitonium est consonantia constans ex duabus vocibus continuis excluso tono et tantummodo consideratur ubi hec vox *mi* includitur cum *fa* et econverso, scilicet a *mi* in *fa* et e converso. <sup>5</sup> Et dicitur a *semis* quod est imperfectum et tonus quasi imperfectus tonus et non a *semis* quod est dimidium.

<sup>6</sup> Tonus enim non habet medietatem. Tonus est proportio sesquiocava unius note ad aliam inmediatam sibi <proximam> sicut *re* ad *ut* similiter *fa* ad *sol* et ceteris.

<sup>7</sup> Semiditonus est consonancia constans ex tono et semitonio et dicitur semiditonus quasi imperfectus ditonus.

<sup>8</sup> Dytonus est consonantia constans ex duabus tonis. Et dicitur a *dya* quod est duo quasi duos tonos comprehendens.

<sup>9</sup> Dyatesseron est consonantia constans ex duobus tonis et semitonio et dicitur a *dya* quod est de, et *tesseron* quod est quartus, quasi ascensus ut descensus de quarta nota in quartam sicut ab *ut* in *fa* et econverso.

<sup>10</sup> Dyapente est consonantia constans ex tribus tonis et semitonio. Et dicitur a *dya* quod est de, et *pentha* quinque, quasi

ascensus de quinta nota in quintam inclusio semitonio sicut ab *ut* in *sol*.

<sup>11</sup> Dyapason est consonantia constans ex quinque tonis et duobus semitonii minoribus et est quando fit ascensus in octavam.

<sup>12</sup> Item dyatesseron consistit in proportione sesquitertia sicut 12.9. Dyapente consistit in proportione sesqualtera sicut 12.8. | Dyapason consistit in proportione dupla sicut 12.6. Tonus constituit in proportione sesquioctava sicut 9.8.

<sup>13</sup> Item tres sunt consonantie perfecte simplices et non plures, scilicet dyapason, dyapente et dyatesseron.

<sup>14</sup> Consonancia est dissimilium inter se vocum in unum simul redacta concordantia, vel est acuti soni gravisque mixtura suaviter uniformiterque auribus accidens, vel est proporcio sonorum auditui delectabilis ex natura. <sup>15</sup> Corrolarium : nec unisonus, nec semitonium, nec tonus est consonantia.

<sup>16</sup> Dissonantia est duorum sonorum sibimet permixtorum ad aurem veniens aspera atque iniocunda percussio.

<sup>17</sup> Prima conclusio. Dyapason maior est quam dyapente, quia dyapason consistit in proportione dupla, que maior est proportione sesquiseunda.

<sup>18</sup> Secunda conclusio. Dyapente est maior quam dyatesseron, quia maior est proportio sesquiseunda in qua dyapente consistit, quam sesquitertia.

<sup>19</sup> Tertia conclusio. Dyatesseron est minima consonanciarum, dyapason vero maxima. Et hoc intelligitur quo ad consonancias simplices.

---

<sup>14</sup> consonantia... concordantia] BOETH. mus. I, 3 (p. 191, l. 3-4) | accuti...  
accidens] BOETH. mus. I, 8 (p. 195, l. 6-8)

<sup>17</sup> cf. IOH. MUR. spec. I, 78

<sup>18</sup> cf. IOH. MUR. spec. I, 94

<sup>19</sup> cf. IOH. MUR. spec. I, 101

<sup>20</sup> Quarta conclusio. Dyapason coniungitur ex dyapente et dyatesseron simul iunctis. <sup>21</sup> Patet quia proportio dupla in qua dyapason consistit componitur ex proportionibus sesquiseunda et sesquitertia in quibus dyapente et dyatessaron consistunt.

<sup>22</sup> Quinta. Dyatesseron superatur a dyapente uno tono.

<sup>23</sup> Sexta. Tonus non potest dividi in duas partes equeales.

<sup>24</sup> Septima. In dyatesseron sunt duo toni et semitonium minus.

<sup>25</sup> Octava. Dyapente continet tres tonos cum semitonio minori |  
quia excedit dyatesseron solum uno tono.

<sup>26</sup> Nona conclusio. Dyapason continet quinque tonos et duo semitonia.

<sup>27</sup> Alia conclusio. Dyapason non continet integre sex tonos.

<sup>28</sup> Alia conclusio. Duplex dyatesseron non continet quinque tonos.

<sup>29</sup> Corrolarium. Duo minora semitonia non complent integrum tonum.

<sup>30</sup> Corrolarium. Duo maiora semitonia iuncta excedunt integrum tonum.

<sup>31</sup> Corrolarium. Maius semitonium excedit minus semitonium uno comate. Coma dicitur illud quo tonus excedit duo minora semitonia.

---

**20** cf. IOH. MUR. spec. I, 106

**22** cf. IOH. MUR. spec. I, 110

**23** cf. IOH. MUR. spec. I, 118

**24** cf. IOH. MUR. spec. I, 155

**25** cf. IOH. MUR. spec. I, 177

**26** cf. IOH. MUR. spec. I, 183

**27** cf. IOH. MUR. spec. I, 218

**28** cf. IOH. MUR. spec. I, 227

**29** cf. IOH. MUR. spec. I, 264

**30** cf. IOH. MUR. spec. I, 265

**31** Maius-comate] cf. IOH. MUR. spec. I, 266

<sup>32</sup>Corrolarium. Maius semitonium et minus simul iuncta faciunt tonum.

<sup>33</sup>Corrolarium. Duo semitonia minora cum comate perficiunt tonum.

<sup>34</sup>Conclusio. Bis dyapason consistit in proporcione quadrupla.

<sup>35</sup>Conclusio. Dyapason cum dyapente consistit in tripla proportione.

---

**32** cf. Ioh. MUR. spec. I, 267

**33** cf. Ioh. MUR. spec. I, 268

**34** cf. Ioh. MUR. spec. I, 278

**35** cf. Ioh. MUR. spec. I, 286